



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis**

**Lambert, François**

**Argentorati, 1525**

**VD16 B 3868**

Francisci Lamberti Auenionensis in Amos Prophetam Argumentum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**



**FRANCISCI LAMBERTI**  
**TI AVENIONENSIS**  
**in AMOS Prophetam**  
**Argumentum.**

**Q**ui mirabilis est in omnibus sanctis suis, in Amos pastore armentario uere admirabilis est. Nunc è pastoralibus Thecua uocauit, ad pascendum uerbo sancto suo plebem suam Israël. In eo palam est cernere, quam sit efficax spiritus sanctus, & quam uere & mox doctos efficiat, quos suo lumine dignatus fuerit illustrare. Adhuc quippe erat desertis, pascendisq; animalibus, & tamē confestim fecit è pastore, Prophetam tam mirificum, ut nullus unquam satis enarrarit sermones eius. Quobus nā que primis capitibus, de tribus & quatuor sceleribus, ob quæ præpeditur uera conuersio, multoties agit. Capite tertio arguit ingratos ex Israël, prænuncians mira efficaciam, aduersum eos æquiss. Dei manum, quam pauci erant eua-suri. Capite quarto, carpit rapacitatem & scuitiam diuitum, ac Idololatriam populi totius, ostendens eorum corda indurata, ceruicemq; duriss. nullis omnino plagis domitam. Capite quinto, deplangit perpetuam Israël captiuitatem, magnalia Dei prædicat, ad resipiscenciam impios

**B** commones

ARGUMENTVM.

commonefacit, diem Domini inculcat, & quod sit inuincibilis, festiuitates & sacrificia reprobat, & ingentia ubique mysteria permiscet. Capite sexto, superbiam, rapacitatem, diuitiarum fiduciam, tyrannidem, & lasciuias abominatur, inculcans, quod sint propterea euerendi. Capite septimo, tria uidet flagella, et pro duobus reuocandis orat, quod & fit. Obsistit illi Amasias Sacerdos Bethel, dicitq; Amos se esse pastorem armentarium, sed uocatum ad prophetandum. Prophetat deniq; contra ipsum Amasiam, & Israël. Capite octauo, prænunciat in stare finem regni Israël, increpatq; impiorum diuuium studia, & rapacitatem, dicitq; ob id desitutum omne gaudium, quod lucis nomine capit. Demum prophetat de fame & siti uerbi Dei, & proinde uirginum ac adolescentium defectionem. Capite nono, prophetat Iudæa euerfionem, & templum destruendum, adfertq; eos nullibi tutos futuros, quos Deus uult percutere. Prædicat Deum esse, qui pro arbitrio cunctis terras partitur. Dicit Israël non conterendum, ut reliquas nationes. De instaurando quoq; Israël, & sanctæ Ecclesiæ mysterijs, complura in libri conclusionem subiungit.

★  
★★★  
★